

05

A

238



160

17.



1664.

~~17. G. 1664.~~

28.

17. G. 171.

Disputationem Physicam
DE
Nullitate

Δ Τ Κ Α Ν Θ Ρ Ω Π Ι Α Σ

Publicæ sistunt ventilationi
P R Æ S E S

M. ANTONIUS ADAM

Goldner /

&

RESPONDENS

JOHANNES GEORGILIS Neuman /

Curiâ Varisci.

d. 24. Dec.

In Auditorio Minori.

Anno 1664.

Wittebergæ
Typis JOH. BORCKARDI.

Dissertationem Physicam

DE
MAGNETISMO

AUCTORE JOHANNES GEORGII

Publice Defensurum
P. R. S. S.

M. ANTONIUS ADAM

Magistri


RESPONDENS

JOHANNES GEORGII



05 A 238





Προοιμιῶδες.

Magister Antonius Coccius Sabellicus repurgatus, à Coelio Secundo refert Tomo 1. pag. 10. ex Evante, apud Græcos, monstrum in Arcadia in Antæi familiâ gentile fuisse, ut unus ex eâ gente sortitò ad stagnum quoddam productus, positus vestimentis, transnaret, confestimq; *bellua ex homine fieret*, ac nono post anno, si humanum interim sanguinem non gustasset, pristinam reciperet formam. Quantum huic recensio habendum fidei sit, idem Autor haud obscure innuit, dum ex eo, quod Fabius etiam & Copas adstipulati ei opinioni sint, infert: adeo nullû est tam impudens mendaciû quod apud Græcos careat testimonio! *Non alio digna dictorio λυκανθρωπία* est, quæ tñ circa hoc sacratissimum tempus, contingere verè quibusdam in locis putatur. Quare eâ quoq; destruendam, Dei cum auxilio, sumus aggressi; Ita quidem, ut formatam de ea *Positionem* pertractemus triplici sectione, quarum I. sit *Expositio* referens ea, quæ de Lycanthropia & Lycanthropis communiter habentur: II. *Compositio*, qua argumentis compositis, sententiæ veritas comprobatur. III. *Resolutio*, ubi rationes contrariæ refellentur.

POSITIO.

Illa λυκανθρωπία, quâ putatur vel *anima* hominis, vi Satanæ, *educi*, & in *Lupinum corpus* immitti; vel *homo realiter in lupum* transmutari, non datur.

SECTIO I.

EXPOSITIO.

S. i. *Etymologia* vocis plana est, scil. ex λύκ & lupus, & ἄνθρωπος homo, q. d. Lup. hominificatio. Addita a. vox: *illa*, indigitat, non quamlibet à nobis hic è mundo λυκανθρωπίαν tolli;

Subiecti
Paron:

Homon.



Datur enim quædam species morbi, sic dicta; à Luthero
verò vocata des Teuffels Bad/ex attrabili, seu *Melanchol a*
veniens, quæ Spiritibus animalibus hominis in cerebro per-
turbatis, talia suggerit Phantasmata, ut quis in *lupum* se con-
versum imaginatus, *lupina facinora* patret, apparens interim
spectantibus non lupus, sed homo; verum eam, quæ in *Posi-*
tione est descripta.

Forma

II. Quomodo autem se habeat *Ratio λυκανθρωπίας*
illius, refert ex *Peucero* B. Sperlingius Instit: Phys. lib. 2. p. 383.
quæ apud nos reperitur sparsim §. IV. VI. VII. X. quò etiam pro-
peremus.

Concreti

Substantia

III. Atq; ratione *Abstracti* quodammodò esset Thema de-
claratum. Jam *Concretum* intuebimur; ita, ut juxta Prædi-
camenta perstringamus breviter *λυκανθρωπης*. Sunt *λυκάν-*
θρωποι, Germ. *Werwölff*, aut *Werwölff* ratione *Termini à*
quo veri homines, ratione *Termini ad quem*, sint *Lupi*, quan-
quam imaginarii, ut postea dabitur evictum.

Qualitas

IV. *Passiones* aliorum ignoramus, sed tantùm unius *λυ-*
κανθρωπος in Borussia capti, qui juxta propriam confessio-
nem, maximo *horrore & langvore corporis* est affectus, ante-
quam *pili* erumperent, & forma mutaretur.

Relatio equi-
parantia.

V. *Societatem λυκανθρωπων* ineunt, qui versantur cum
his crebrius *compotant* q̄s. Consuetudine enim & *compotati-*
onibus infici putantur.

Actio

VI. Monstra hæc, antequam *λυκάνθρωποι* fiant, verba
quædam ordine recitant, aut corpus unguento *illinunt*, aut
nescio quo se *baltheo circumcingunt*, & mox *anima egressa e*
suo corpore in lupinum cedit; cum autem *λυκάνθρωποι* eva-
serunt, certo tempore (quod infra determinabitur) magno
conveniunt numero, præeuntemq; cum flagello ferreo ducem
secuti, & ab hoc educti campos *divagantur*, irruptione in gre-
ges *obvios factâ*, armenta *dilaniant*. Sicut & ille haud pro-
cul ab urbe Rigenfi captus. *Lycaon equum* se discidisse falce
fatebatur. Alia quidem dant quoq; *damna: nunquam* tamen
ea, quæ *homines lædant*. Ad flumina deducti, duce ictu fla-
gelli *aquas findente*, ut discedant, *sicco tramite relicto transe-*
unt.

VII.

VII. Quando *tempus* instat illarum præstigiarum, à pu-
ero pedem alterū claudo circummeunte *convocantur*, & sequi ju-
bentur, cessantes fortè aut cunctantes, mox ab alio viro proce-
ro connexo ex loris ferreis, & iis flexibilibus flagello, *perpel-*
luntur, coacti, ut properè procedant. Ab eodem interdum
coeduntur adeò malè, ut à vestigiis vibicum diu corpora vel-
licentur cum dolore: quàm primum a. accinguntur ad se-
quendum, *exuistatim* priori specie videntur & *indui* lupina;
ita quidem ut qui *mutantur* in momento, *concidant* subitò
ceu correpti morbo, jacentes haud absimiles exanimis & ca-
rentibus vita sensuq; , nec fustibus excitari possint; collapsi
neq; loco *moventur neq;* ad agitationem, evidentia vitæ signa
præbent, *neq;* aliã *vestiuntur* specie luporum. Interea verò
hoc fieri Lycaones testantur, ut non detrahatur quidem figu-
ra corporibus humana, nec lupina accommodetur; sed *im-*
pellantur tantum *animæ*, ut egressæ suis carceribus *lupina* in-
volent *corpora*, à quibus, præstituto tempore, circumferan-
tur. Induti a. lupina specie homines isti, quando damna de-
derunt, & deprehensi sunt, *vulnera* quoq; *accipiunt*, licet a diabo-
lo tantum inflicta, ut in errore concepto consistantur mi-
seri.

Passio

VIII. Hæc a. omnia contingere dicuntur tantum intra
duodecim dies, proximas à Natalitiis Christi, nec ante, nec post.
Etsi enim ejusmodi homines crebro ita, uti dictum, afficiuntur,
ut *lupi* videantur fieri, nunquam tamen in unum colliguntur
agmen, nisi dictis *diebus*. Finitis autem diebus his, redduntur
pristinis corporibus animæ, ipsiq; antea *λυκάνθρωποι*, nunc
merè *άνθρωποι* sua obeunt negotia. Atq; hoc est commune
tempus; *peculiare* vero sibi assignavit quidam *λυκάνθρωπος*
Borussiae captus, qui fassus est, se quoq; circa *Festum Johannis*
B. mutari.

Quam-
do.

IX. Quod si quæras, *Ubinam* locorum talia circumva-
gentur monstra, scias, maximè infamem *Livoniam* esse & fini-
timam regionem. Nec *Nervios* al: *Neuros*, minus in *Scythia* pu-
tari finitimis quotannis in lupos transfigurandos, iterumq; in-

Ubi

homines redigendos Cœlius Secundus M. Anton: Coccij Sabel-
lici Repurgator prodidit. Neque *Saxonia* plane vacua à me-
tu eorum est, cum tempore dicto, domus rustici claudant, ne
damnum ab istis inferatur. Et *Borussia* tandem captivum quē-
dam *λυκάνθρωπον* haud ita pridem habuit. Wierus quoque
L. IV. c. XXII. p. 472. refert ex Plinio, licet fabulosum appellet
ipsemet, *Arcades* stagnum quoddam transgressos in *lupos*
commutatos. Idem alia memorat exempla l. c. p. 474. 475.

Situs

X. De *Situ* eorundem nihil reperi scriptum, nisi quod
plerunq; *cubent*. Utrum vero proni, an supini, iterum latet. U-
nicum deprehenditur exemplum *Lycaonis*, rustici quidem,
quod jacuisse *supinum* *Peucerus* de *Divin*: reliquit.

Habitus

XI. *Habitus* quod concernit, iste, si rem respicias, e-
rit idem, quem habuit homo ante transmutationem; sin opi-
nionem *Lycaonum*, erit idem cum *naturali habitu* brutorum,
ut est *Pilositas*; id quod colligere est ex confessione illius in
Borussia capti *λυκάνθρωπου*, qui dolore se concussum dice-
bat, antequam pili erupissent: & *Petri Bourgot* apud *wierum*,
L. VI. c. XI. pag. 703. qui se ignorare dicebat, quò *pili* devenirent,
quando desineret esse *lupus*.

*Predicati
limitatio*

XII. Haecenus de *Subiecto*. In *Predicato* probè notanda
verba sunt: *non datur*, quibus respicimus ad fabulam, de *λυ-
κάνθρωποις* tantum circa *Christi Natalitia* à *Diabolo* produ-
cendis. Nequaquam autem diximus, *non dari potest*, ad omni-
modam potentiam negandam; siquidem *divinæ infinitæ poten-
tiæ* non repugnet ejusmodi in *lupos* (& canes etiam) transmu-
tatio. Non secus ac inproclivi fuit convertere *uxorem Lothi
salis* in statuam *Gen: xix. 26.* *Mosis baculum* in *serpentem* *Exod:
iv. 3.* *Aquam* in *Vinum* *Joh. ii. 19.*

SECTIO II.

COMPOSITIO,

SEU VERAE SENTENTIAE CONFIRMATIO.

Non datur autem ejusmodi actio tam ratione *Causæ efficien-
tis & Subiecti*, quàm *Effecti*.

CA-

CAPUT I.

DE CAUSA EFFICIENTE;

Et de ea quidem tam ratione *eductionis animæ* humanæ & immiſſionis in corpus lupinum, quàm *veræ* hominis in lupum *conversionis*.

Causa efficiens,

I. Non ratione *eductionis* dictæ, vi horum argumentorum:

1. Nulla *actio inferens* veram è mortuis *resuscitationem* dæmoni est possibilis;

At *animarum* corpori humano *ereptarum* detrusio in corpus lupinum & post earum cum eodem redunitio est *actio inferens* veram è mortuis *resuscitationem*. E. Mai. prob. à *qualitate* Causæ *Efficientis*, scil: diaboli, & à contrario *Effectu*: *Diabolus* enim est *causa finita*; *resuscitatio* est *Effectus infinitus*; Min: ab *Effectus* illius *Quidditate*; nam *animæ ereptio* infert *mortem*, & *redunitio vitam*, & consequenter è mortuis *resuscitationem*: Adde quod & hinc dæmoni hæc *actio* sit impossibilis, quia infert, ut *lupus* æquè sit *rationalis*, ac *irrationalis* si, *anima* hominis transeat in *lupum*, quod *contradictionem* in adjecto involuit.

Impotens
i. in educendo
animam.

2. A *negato modo agendi*. Quod *diabolus* nec *supernaturali modo*, nec *naturali* potest præstare, id planè non potest;

At *animarum* è corporibus *ereptionem* cumq; iis redunitio-
nem *diabolus* nec *supernaturali* potest modo præstare, nec *naturali*, E. Maj: est *firmâ* ob *Distributionem modorum agendi* sufficientem; *duo* enim tantum sunt *agentia* in *Natura*, *supernaturale* & *naturale*. E. tot etiam sint *modi agendi* oportet. Min: quoad *prius* membrum ob *Causæ Efficientis qualitatem*; *diabolus* est *ens finitum* E. nequit agere *infinite* vel *supernaturaliter*, quod *Dei* est; quoad *alterum* membrum, ob *Effecti qualitatem*; cum enim illa *animæ separatio* & *conjunctio* sit *effectus infinitus*, non potest *naturaliter* produci. *Neg, media*, quæ *Satan* adhibere docuit, *naturalia* sunt, scil: 1. vel *verborum*
quo-

quorundam *recitatio* certo ordine, vel 2. *unguentum* corpori il-
litum, vel 3. *balthemus* corpus circumcingens; nam 1. verbis ceu
quantis vis inest nulla. 2. *unguentum* est inferior causa effectui
tanto, quod Wierus plane somniferum vocat, & sic phanta-
smatibus sciendis idoneum L. VI. c. XII. p. 707. 3. eadem de bal-
theo *infirmi* præsume.

2. In realiter
transmutan-
do.

II. Non ratione *vera* hominis in lupum *transmutationis*:
Hanc diabolo detrahit argumentum ab *adjuncta* qualitate Ef-
fecti hujus: Quic. nullum *infinite* Effectum edere potest, is nec
speciem in speciem, scil: *hominem* in *lupum* transmutare. At
dæmon. E. Maj. prob: à *negato* Genere *infinite* Effectuum
ad negandam Specie hujus *transmutationis*, quæ omnino virtutis
est *infinite*; requirit enim *prioris annihilationem* & immediatam
posterioris *creationem*, quæ omnipotentis est roboris. Min.
à causa *ignobili* Effectus nobilioris; diabolus est finitum ens,
cujus potentia certo *factibili*, & certa sphaera activitatis *con-*
cluditur, adq, certum agendi modum, quem excedere nequit,
limitatur, unde *effectum infinite* causæ producere *potis*
non est.

CAPUT II.

DE SUBJECTO

Subjectum
ineptum 1. A-
gendo.

I. Subjectum in hoc lusu est geminum, alterum *agens*, scil.
anima hominis, alterum *patiens*, scil: corpus, sive *humanum* si-
ve *lupinum*, utrobiq; tamen *exulat* $\lambda\upsilon\kappa\alpha\nu\ \delta\rho\omega\pi\iota\alpha$, i. Et quidem
ratione subjecti *agentis* confirmatur ex *Officio* formæ *negato*,
tam quoad *eductionem* seu *migrationem* animæ, quam *actua-*
tionem. Quoad *migrationem* hoc argumento: N. *anima* è cor-
pore in corpus potest *migrare*. Anima hominis est anima. E.
Major firma est, nisi ei, qui *explosam* jam dum $\mu\epsilon\lambda\epsilon\mu\psi\upsilon\chi\omega\sigma\iota\nu$
postliminio reducat. *Minor* per se est clarissima.

II. Quoad *actuationem* quoq; Nulla *forma*, determinata ad
suam materiam, potest specie *distinctam* informare *materiam*.
At *forma* humana est determinata ad *materiam* humanam. E.
Maj. prob. ab *Officio* *Formæ*, quæ dat præter esse *specificum*, e-
tiam *operari* & *distingvi specificum*, quod tollitur, si & *lupum*
potest

potest informare. Min. ab *Homogeneitate Partium ad Totum*; quia *Forma* humana debet constituere cum sua *Materia totum hominem*. E. non debet informare *aliam* Materiam, quam humanam, ceu alteram *homogeneam & essentialem Partem*. Item ab *Adjuncta præstantia* animæ humanæ, per talem *Materiam* declarata; anima enim humana præstantissima est, cur ergò viliores brutorum animam, & non potius *præstantissimam* hominum informet?

Quod si dicatur *animam lupi* informare corpus hominis, idem valebit argumentum, mutatis mutandis.

III. Porro si arbitraris, *duas animas unicum* informare corpus, *absurdum* admittis, quasi *duæ oppositæ specificè Differentiæ*, eodem respectu, unicam actu constituent Speciem: Cum tamen alias pro numero *Formarum* oppositarum etiam numerus *Individuorum* creletur.

IV. Fuit *Subiectum* agens, consequitur *patiens*, quod est vel corpus *humanum*, vel *lupinum*; utrumq; autem *ἄνομαλον* rejicit. Sive enim dicas *corpus hominis* ab *anima lupi* informari; sive corpus *lupi* ab *anima* hominis actuari, neutro tamen aliquid conficies. Firmum enim est argumentum ab *Adjuncta* habitudine & Proportione *Materia* ad *Formam*. Unde arg. N. disproportionata & inhabilis *Materia* informari potest à disproportionata & inhabili *Forma*. At *corpus lupinum* respectu *animæ humane* & *corpus humanum* respectu *animæ lupinæ* sunt *Materiæ* disproportionatæ & inhabiles. E. *Maj.* quærit robur in *Officio* animæ, quod est inter alia etiam *operari*. Quale vero erit operari in *Subiecto* & *Materia inhabili*, quæ ad alios longè actus, quam quos forma illa perficeret, est determinata? non secus ac *Materia ferri* non potest informari à *Forma quercus*; aut *Materia lapidis* à *Formâ canis*, dicente B. Sperling. Anthropol. p. 47. q. 4.

V. Neq; potest concipi, quomodo *corpus* hominis, quod ad *animam humanam* dispositionibus, debita quantitate & latibus est determinatum, capax fiat alterius *lupinæ formæ*; cum recipiens aut *patiens* non recipiat ad *modum imprimentis*, aut agentis; sed ad modum suæ receptivitatis.

B

CA-

Minor ipsa in *Natura* horum corporum, quia sunt *Specierum disparatarum* *Materiae* & oppositas habent formas. E-
utiq; inhabiles erunt ad actiones oppositas sustinendas.

CAPUT III.

DE EFFECTU seu TOTO SUPPOSITO.

Effectū Neq; *Suppositum* ipsum *λυκανθρωπίαν* sustinet; ob *ne-
imaginationem* ejus, quod *Partibus* competat seorsim, ad idem
nariū negandum, quatenus competat Toti h.m. Quicquid de *neutra*
essentialium *Partium* est verum; id neq; de *toto* *Supposito* ve-
rum erit. At *substantialis* mutatio hominis in lupum de
neutra essentialium *Partium* est vera. E. *Maj.* roborat *identitas*
Partium & *Totius*, quippe *Partes* idem sunt ac *Totum*. Si
ergo aliquid *Partibus* est derogatum, non potest id attribui
Toti, quod ex illis constat. *Minor* ex duobus prioribus capiti-
bus accepit lucem.

CAPUT IV.

DE QUIDDITATE ΛΥΚΑΝΘΡΩΠΙΑΣ permodum agendi *positivè* declaratâ.

*Mor-
bus.* I. Haecenus quidem *remotive* est ostensum, quid haben-
dum de *λυκανθρωπία*. Ut autem animo cupido noscendi,
quid *positivè* sit, faciamus quodammodo satis, breviter super
hoc mens est aperienda, & *Gvilhelmo* quidem *Camdeno* *Brit-*
tanniae *descriptori* placuit, uti & *B. Sperling*. *Instit. Phys.* cap. 4.
q. 10. Esse eam *morbum* (saltem, descriptum thesi *Superiori* I.
“Consentit *Wierus* de *præstigiis dæmonum* lib. III. c. 10. di-
“cens, *Diabolum* verorum illorum *luporum* & *noxiorum*,
“qui obvagari in *Livonia* & *locis* finitimis videntur, vagis er-
“roribus & actionibus imbuere delirorum *λυκανθρωπων* or-
“gana *phantasiae* atq; vitare, ut ii se *excursionum* *erronearum*
“& *actionum* *autores*, *corrupta* *imaginatione*, *arbitrentur*, *fa-*
“teanturq;. Id autem ait *facere dæmonem* per *λυκανθρω-*
“*πίας* *morbum*, dum *humores* & *Spiritus* in hæc *ludibria* *ido-*
“*neos* *commovet*, *potissimum* quibus *atræ bilis* *nebulæ* *vitia-*
re ce-

“re cerebrum solent, cujusmodi existit fatuum, monstruosum
“que id genus hominum. Repetit Wier. eandem opinionem
“L.IV. c. XXIII. p. 474.

“ II. Firmius autem effatum est, nihil esse aliud, nisi Satana
“*præstigias*, quas B.D. Scharfius lib. 3. *ver. u. q. 4.* ita describit, *J.*
“quod *Diabolus* hominibus superstitionis illuc at fascinando;
“*glaucoma* objiciendo spectantibus, aut formam *δυναμίδων*
“*πρὸς representando*. Similiter & illa, quæ de *magicis* rerum
“*conversionibus* circumferuntur, aut *narquam* sunt visa, aut
“quæ *visa* sunt, præstigiatorum fuerunt, quibus oculus viden-
“tis fuit oblati *fascino*; vel si oculus inviolatus perstiterit, per
“*agilitatem* subdole subtrahita res videnda. Ut non rarò ex-
“perimur apud circumforaneos, histriones, nigromanticos.

“ III. Peuceus ita recenset: *non excedit* è corpore huma-
“no anima verè, ut in *lupinum* cõmigret, diaboli coactione, et
“si ex collapsis proflere interdum *lupinâ* specie spectra con-
“spiciuntur: *nec suam corporis formam exiunt*, aut mutant, sed
“*de vinculis* illis somno profundissimo, *nocturnum* horum Diabolus
“*inbibet*, ac *respirationem tollit*, aut occultat omnia vitæ argu-
“menta, & ne suffocentur, *cordis calorem*, vel *affatu aeris* suffi-
“cientis, vel leni profus & obscuro *motu ventilat*, aut *fasci-*
“*nat* adstantium *oculos*, ne, quod de *respiratione* reliquum est,
“animadvertant. Ut ita prorsus animæ *ἐκστάσει* impeditæ
“aut distractæ à ministerio regendi corporis, & in sese revo-
“catæ *occupentur phantasmatis* ac ludibriis effectis & immis-
“sis à diabolo de iis rebus, quas interea *perficit*, cum opinio-
“ne tali, ut *ipse* de impressa *δοκίσει*, seu phantasia *facere* vide-
“antur ea, quæ *phantasmata* pingunt ac persuadent.

IV. Et ne quis hanc de *fascino* præstigiisq; assertionem
vocet in dubium, ecce, *exemplum* quibusdam Autorum *ἀξιόπισ-*
“*των* idem confirmamus. Imum autem adducit Bersmannus in
“annotat: super *Metamorph: Ovid. Fab. II.* cujusdam *Lycao-*
“*nis* in Borussia capti & duci ejusdem regionis adducti à rusti-
“cis, quorum jumenta dilaniaverit. Huic, ad interrogationem,

„dicenti, se quotannis *bis* ita *mutari*, semel circa Natalem Chri-
 „sti, secunda vice circa Festum Johannis B. creditum est tantis-
 „per, dum ad expiscandam rei veritatem capsivus *diu* in arce
 „detentus deprehendebatur *eandem semper*, quam habuit, for-
 „mam *retinuisse*. En *imaginationem*! Idem recensuit publicè
 „in Gynasio Rigensi M. Hermann. Samsonius. hic multis cum
 „aliis vidit ejusmodi hominem immotè *diu* stertentem, qui
 „ἐκστάσεως tempore elapso, tot arborum peragrations, armè-
 „torum dissipationes & lacerationes *jaçtaverit*, facieiq; cic-
 „atricem à pastore acceptam fassus fuerit, cum tamen specta-
 „tores eum semper *immutum* viderint *comam* jacentem. En *pra-*
 „*stigias*! Tertium Peuceri est, qui refert, rusticum sub cœna, apud
 præfectum propè urbem Rigensem eâdem ἐκστάσει correptum,
 jacuisse supinum noctu, qui tamen sit fassus, se *equum*, qui *ma-*
nè dissectus reperiatur, falce secâsse, dum veneficam, sub e-
 quo se abdentem, sit insecutus. En *fascinum*! usq; adeò nil nisi
figmentum atq; *falsitatem* olent, quæ de λυκανθρωπία vera
 narrantur, ut mirum sit, homines etiam cordatos aulos ean-
 dem mordicus tenere: ad quos refellendos nos deducit

SECTIO III. RESOLUTIO

EXCEPTIONUM ET ADVERSARUM PROBATIONUM.

Autores

Opinio.

R.

I. Qui λυκανθρωπίας veritati favent ex Veteribus, Pro-
 pertius, Ovidius, Virgilius; ex recentioribus Bodinus cap. IV.
 Meth: Hist: Tholosanus & alii, qui non vel poëticè fictam,
 vel satanicè illusoriam autumant, quicquid afferant, *extra ve-*
 „*ritatem* dicunt. Non enim est verò consentaneum, quod *da-*
 „*mon* id possit, dum *corpus humanum* flectat ad *formam lupinã*
 „*externam*, ut hujus extensioni respõdeat; *membra a. deficientia*,
 „ut caudam superaddat: postea verò *physica* applicet *princi-*
 „*pia*, quæ per internam *humorum alterationem pilorum* protru-
 „dant materiam, ut illi corporis in superficie emineant. Quã-
 do quidem contrarium supra probavimus, ubi non tantum *a-*
 ni-

animam evicimus longè superiorem, quàm ut ministerio tam vili se patiatur subjici, sed nec efficere quoq; diabolus hoc *supernaturaliter* posse constat, ceu *finitam* creaturam; nec *naturaliter*, quia natura lupos per *semina* producit *animalium* talium. II. multò *minus* illud aliquid momenti habet, quòd asserunt, *formam* lycanthropi *migrare* è corpore humano in corpus *lupinum*, vel verum, vel ad hoc ex aère à diabolo *factum*. Etenim *animæ educendæ impossibilitas* tam ostensa jam est, quàm & indè patet, quando dicendum, corpora illa prostrata aut *viva* esse, aut *mortua*. Si *viva*, habebunt animam intra se, non extra se, ut in aliud corpus *involet*; sin mortua, daemones ea resuscitet, quod impossibile.

2. *Opinio.*

R.

III. Verùm tam altas hæc *opinio* radices Autorum in animis egit, ut non dubitent *argumentis* quoq; confirmare iisque *inartificialibus*, scil. Historiis 1. quibusdam. 2. Testimoniis *λυκανθρωπων*, liberis & 3. *confessionibus* torurâ expressis, quæ ex recensione Wieri Lib. VI. c. XI. p. 699. à viris alioquin cordatis & magnæ existimationis velut ex Tripode prolata cum summa religione observantur; sed & *artificialibus* utuntur. At omnibus tamen *infirmis*. Etenim 1. *Historiola* non sunt veræ, sed *fabula*, quod Sectio II. abundè docuit. 2. *Testimonia* Lyconum & 3. *confessiones cruciatibus* extortæ & torturis, de animarum è suis carceribus transitione in lupina corpora, in quibus præstituto tempore circumferantur, ad exercendam lupinam ferociam & finito tempore, illarum in pristina corpora regressu, sunt admodum *fallacia*; cum *Testimonia* sint edita non ex iudicio recto; sed depravato, & ex *Phantasia* in *excursus* vitiosa, uti allegata Exempla Sect. II. cap. 4. comprobant. Conf. Wier: L. VI. c. XII. p. 704. seqq.

Probatio per Testim.

R.

IV. *Confessiones* vero *coactæ*, nisi etiam ex occæcato, vii diabolica, animo prodeant, ut se fecisse putent, quod tamen nequaquam factum, plerumq; adè sunt à *veritate alienæ*, ut contrarium quoq; inferant; quando quidem tantis in *angustijs* constitutus homo, vel quid loquatur *nescit*, vel *spe leniendi doloris*



loris etiam *falsa* confitetur. Præterea quantum fidei his confessionibus habendum, Philotas apud Curtium innuit, qui in ejusmodi casu agebat; veròne an *mendacio* se quis liberet, perinde est.

Excepti-
onum I-
ma.

V. Hæc de Testimoniis. Argumenta *artificialia* reponuntur vel *Exceptionum* loco vel *Probationum*. Et quidem Exceptione se tueri adversarii volunt, ad illud argumentum, quo *animarum ereptionem*, & reduntionem confecimus *impossibilem*. Sect: II. c. 1. argum. 1. 2. Hic enim à *Comparatis paribus Exemplis* scil. concludunt ejus possibilitatem. Exempla autem animarum separatarum & reduntitarum ponunt in Paulo tertium in cœlum raptō: *Lazaro* & *Nainitico* adolescente resuscitato. Ast quis *Fallaciam* Exemplorum non palpet, dum animadvertit *effecta illa* ab infinitâ divinâ virtute producta; *λυκανθρωπίαν* autem vi *finite* & *diabolice* à nobis denegari?

R.

Uda

VI. Idem sentias de illo *Exemplo*, pro exceptione reposito negatæ in creatura possibilitati *transmutandi* substantiam in substantiam, aut speciem in speciem, Sect: II. cap. 1. § 2. quod sumptum à magis *Ægyptiacis* Exod: VII, qui baculos mutarunt in serpentes; nam commutatio illa vel tota fuit *prestigiatoria*, absq; vera factione, vel baculi ab oculis adstantium magorum *remoti* viq; satanica serpentes ex improvise *substituti*: Et quod præstigiæ fuerint, colligit Wier de Præst: dæm: L: II. C: VIII. p. 177. ex eò, quod *serpens* magi à serpente Mosis devorabatur Conf. p. 178.

R.

Obi. i.

VII. Fuerunt Exceptiones; sequuntur *Probationes*. Nuntuntur autem roborare *λυκανθρωπίας* veritatem argumentis 1. *ab effectis* lupinis 1. *peragratione* camporum, pecorum dissipatorum laceratione. 2. *belluino victu*, *crudaq; carnis* humanæ devoratione. 3. congressu cum bestiis, *Exemplo* Petri Bourgoti, Michaelisq; *Verdung* apud Wierum L. VI. C. XI. p. 702. 703. Verùm *Fallacia* hic se *effectus* prodit, quando consideratur 1. illas actiones non requirere præcise *hominum* in *lupos mutationem*; cùm sint *verorum luporum*, asserente Wiero L.

R.

III. c. x.

III. c. x. p. 268. quod inde patet, quia isto tempore, lupino generi *libidinis* usus est consuetus; per quem, accedente frigore, in rabiem quasi actum discurret, dumq; arvis nive obductis & pecora *stabulis* tenentibus, quo *satiat stomachum*, non deprehendit, in obvia quævis irrumpit, cuniculosq; agit sub casis; non satis firmo fundamento roboratis, ut animalia, *ad pastum* consequatur. 2. Reliquos effectus *λυκάινθρωποι* non producant, semper immediate, sed *mediatè*, per *diaboli* concursum. Nec *humana devoratio carnis* arguit semper *effascinos* à Diabolo, nedum *lupos*; cum & non fascinati idem præstent, ut incolæ quidam *Indiæ occidentalis*. 3. Execrabili cum *bestijs libidini* etiam à Satana *non effascinat* indulgent, teste *experientia*, quæ ergò statim indigitet lupum? Taceo quod Wierus L. VI. c. XII. p. 709. de illa libidine indicat, scil. fuisse saltem imaginem somnorinam.

VIII. Effectui subjungunt quædam *Adjuncta*, ut 1. uncorum dentium morsum. 2. *celeritatem* cursus. 3. robur. sed sine effectu. Annon n. 1. *Diabolo morsus uncus* est *possibilis*, qui & clavos & cultros viventium corpori potest immittere? Quem in finem conferatur Wier de Præst. Dæm: lib. i. c. XII. 2. Annon potest diabolus *celerrimè* magorum *corpora* per aerem transferre? quod etiam quidam *λυκάινθρωπος* apud Wierum lib: VI. C. XI. profitebatur. Et quis *robur* in *obsessis*; non deprehendit? Ergone etiam sunt *lupi*?

Obj: II.

R.

IX. Sicut autem hisce *Probationibus* probarunt *nihil*; ita nec sequentibus. Quid enim juvat, quod à *Comparatis paribus* scil. Exemplis ejusmodi *transmutationis*, concludunt? nihil. Nam quod 1. *Magæ Veronii* muratæ in *feles* fuerunt, & viros pernoctantes invaserunt. 2. *Juvenis Anglus* in *Cypro* à *Saga* mutatus in *asinum* per triennium. 3. & quidam in *asinum*, qui ordinariè *lectionibus* *Ammonii Philosophi* interfuit, id *non factum realiter*; sed *præstigiatorie*, adeoq; nobis non obest.

Obj: III.

R.

R.

X. Neq;

05 A 238

ULB Halle

3

004 206 576




WOM

6d.







17. G. 400

28.

17. G. 171.

Disputationem Physicam
DE
Nullitate

Κ Α Ν Ο Ρ Ω Η Ι Α Σ

Publica fistunt ventilationi
P R Æ S E S

TONIUS ADAM

Goldner /

RESPONDENS

ANNES GEORGILIS Neuman /

Curiâ Varisci.

d. 24. Dec.

In Auditorio Minori.

Anno 1664.

Wittebergæ

Typis JOH. BORCKARDI.

